

AXIOMATA.

Est amor ingratus, si non sit amator amatus. Sorte patet misera, quæ sit dilectio vera. Verus amator erit, qui me plus, quam mea, querit. BUCHLER. v. eod. libid.
Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. libid.

AUCTORES.

Alphonsus Rodriguez, p. I. tr. 4. n. 3. NB.
Ludovicus de Ponte, t. II. tr. III. et t. III. tr. I. c. v, et tr. VII. c. III, IX, X, XI, XII, n. 3. NB.
Franciscus Labata, in Apparatu, verbo: Amor proximi, et correctio fraterna.
Petrus Sanchez, in Regno Dei p. VI.
Petrus Canisius, t. I, c. III.
Bernardinus Rosignolius, de Discip. perf. I. II, c. VII.
Hieremias Drexelius, in Rosis p. I, c. 1.
Joannes Buseus, in Viridario v. Charitas Dei, et proximi.
Ludovicus Granatensis, in Silva locorum communium, p. 329.
Laurentius Beyrlinck, tex. V, in Fest. S. M. Magd. et test. I, in Festo SS. Simonis et Jude.
Th. Stapletonus, tex. IV, in Dom. XII, post Pent. et tex. III, in Dom. XVII. Item tex. I. In Dom. I, et tex. VIII, in Dom. XII, post Pent.
Matthias Faber, c. 1, in Fest. SS. Simonis, et Jude, conc. II. de Inimicis diligendis. Quam materiam etiam tr. conc. III. in fest. S. Stephani. Item conc. II, in Dom. XII, post Pent. conc. v, in Dom. XVII, conc. II, in Dom. XXI.
Josephus Mansi, t. I, tr. V. Bibl. Mor.

DISCORDIA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO.—Est quedam voluntatum disgregatio in diversa, juxta S. Th. aut juxta Ciceronem, est ira acerbius intimo odio et corde concepta. S. Th. II. II, q. XXXVII. a. 1.
Unde Isidorus dixit: Discordia est aliquorum diversio, quos prius amoris vinculum colligavit. Concordia vero est convenientium

in rectitudine animorum indrupta quedam et unita complexio. Seditiosus est qui disensionem animorum facit, et discordias gignit. ISID. I. *Ethymol.*

ACTUS.—*Verbis, alterius opinionem se plus æquo opponere*; id quod S. Paulus prohibuit dicens: Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est nisi ad subversionem audientium. II. TIM. II, II, 14.

Ad verbera usque contentiones et rixas extendere; de quo illud Salomonis intelligi potest: Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. ECCI. VIII, v. 1.

Etiã sanguinem effundere rixando; id quod Siracides indicavit, dum dixit: Certamen festinaturnum incendit ignem, his festinans effundit sanguinem. Ib. XXVIII, v. 13.

II. EX. S. SCRIPTURA.

QUALITAS.—Non est dissensionis Deus, sed pacis.

Sex sunt quæ odit Deus, et septimum detestatur anima ejus, qui seminatur inter Fratres discordias. PROV. VI, v. 16.

Cum sit inter vos zelus et contentio, non carnales estis? I. COR. XIV, v. 33.

Inter superbos semper jurgia sunt. PROV. XIII, v. 10.

Abstine a lite, et minues peccata. ECCI. XXVIII, v. 12.

Qui tecum vult iudicio contendere, et tunicam tollere, dimitte ei et pallium. MATTH. V, v. 40.

DAMNUM.—Sex sunt, quæ odit Deus, et septimum detestatur anima ejus, qui seminatur inter Fratres discordias. PROV. VI, v. 16.

Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. II. TIM. VI, v. 14.

Virsapiens, si cum stulto contenderit, non inveniet requiem. PROV. IX, v. 9.

Omne regnum divisum contra se desolabitur, et omnis civitas vel domus disversa contra se non stabit. MATTH. XII, v. xv.

Vae mihi! Maler mea, quare genuisti me virum rixæ et discordiæ in universa terra? JER. XV, v. 10.

Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito; ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum. PROV. XXV, v. 8.

Fortis impiegit in fortem, et ambo pariter considerunt. JER. XLVI, v. 12.

DISCORDIA.

Ubi zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. JAC. III, 16.

Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, contentiones, amulationes, ira, rixæ, dissensiones, sectæ, etc. Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt. GAL. v. 19.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS.—Septimum locum inter carnis opera contentio possidet, quodam quasi sacro, et eminenti inter vitia numero collocata. Servum enim Domini non oportet rixari, sed esse mansuetum ad omnes, doctorem longanimum, cum mansuetudine audientem etiam eos, qui e contra disputant. S. HIER. in cap. v. ad Galat.

In discordia nemo benedicit Dominum. S. AUG. in Psalm.

Decet regalis apicis curam, generalitatis custodire concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur, si ab hominibus pax ametur. Quid enim est, quod Principem melius prædicet, quam quietus Populus, concors Senatus, et tota Republica morum honestate vestita? CASSIOD. Ep. XXII.

Summopere jurgia fuge; nam contra parentem contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum, maxime autem contra fratrum contentionem inire; nam absentem lædit, qui cum ebrio litigat. Idem.

Discordia est aliquorum diversio, quos prius amoris vinculum colligavit. ISID. *Ethym.*

Nulla spatia possunt satis esse discordibus, pacificis angusta abundant, dissitis moribus etiam spatiosa aretantur. S. AMBROS. de Patriarcha.

DAMNUM.—Qui incepto verbo rixam et discordiam ex fraterno corde provocat, quasi necessaria ultra modum emungens sanguinem elicit. S. HIER. in c. XXX *Prov.*

Perversæ mentes, si semel ad studium contrarietatis emerperint, sive pravum, sive rectum quid a contradicentibus audiant, adversus hoc responsionibus impugnant; quia cum persona per contrarietatem displicet, nec recta, quæ protulerint, placent. S. GREG. I. *Moral.*

Discordans et dissidens, et pacem cum fratribus non habens, secundum quod B. Apostolus et Scriptura testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissen-

sionis poterit evadere, quia, sicut scriptum est: Qui odit fratrem suum, homicida est. Quale delictum est, quod nec Martyrio sanguinis potest abluari. S. CYPR. de *Grat. Dom.* Nulla re amicitia facilius diluuntur, quam diversa animorum sententia. S. BASIL. Orat. I. de pace.

Quid in nostra doctrina præstantissimum est? Pax, addam etiam utilissimum. Contra quid turpissimum et perniciosissimum? Voluntatum disjunctio. S. GREG. or. XX.

Audiant jurgiorum seminatores, quod scriptum est: Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur; atque diverso colligant, quia si Filii Dei vocantur, qui pacem faciunt, procul dibent satanæ Filii, qui confundunt. Idem.

Lingua rixosa veneno est plena; quæ si non fuerit castigata, omnes suos socios perducet ad scandala. S. BERN. de *Modo bene viv.* s. XVII.

Contentiones et principio exiles quidem esse solent, et facile curantur; at procedente tempore auctæ, insanabiles omnino evadunt. S. BASIL. or. IX.

In felix victoria est, quæ superans hominem succumbit vitio. S. BERN. s. ad mult.

Discordia aditus potius dispendii habet, quam utilitatis. S. GREG. in *Registr.*

Munus non recipitur, nisi prius discordia repellatur ab animo. Id. *super Ezech.*

EXEMPLA CATHOLICA.

QUALITAS.—Josephi, Ægyptii Proregis, fratres non poterant ei quidquam pacifice loqui; ideo ille postea jam Prorex ab eis agnitus rediturus in patriam dixit: Ne irascimini in via; quasi diceret: Novi contentiosum vestrum genium; moneo proinde, ut caveatis a litibus, ne unio fraterna violetur, et gravia vobis per discordiam mala creentur. GEN. XXXVII, 4.

De Abrahami et Lot pastoribus testatur S. Scriptura: Facta est rixa inter pastores gregum Abrahami et Lot; erat quippe substantia eorum multa, nec poterant habitare communiter. GEN. XIII, 7.

Esau et Jacob in utero matris collidebantur, quod explicans Dominus consulenti Rebecca dixit: Duæ Gentes sunt in utero tuo, et duo Populi ex ventre tuo dividuntur, populusque populum superabit, et major serviet minori. GEN. XXV, 12.

Diuturna fuit dissensio inter domum Saul, et domum David, sed hujus domus semper proficiebat, alterius vero continue decrecebat. I REG. v.

Inter Christi discipulos orta est contentio quis eorum videretur major? cæterum id Domino dupliciter ex iis, que sequuntur manifestum est. LUC. XXII.

Occasione Joannis Marci, quem Paulus volebat assumere ad opus Evangelii, facta est dissensio inter Paulum et Barnabam, ita ut ab invicem discederent. ACT. XV.

B. Franciscus Assisius, cum venisset aliquando ad Aretinam civitatem et ibi seditione inter cives orta propinquum immineret excidium civitatis, vidit duos dæmones exultantes, civesque contra se invicem succentescentes. Cum autem Sanctus vir mandasset, per socium, ut ex parte omnipotentis et sui dæmones omnes recederent, subito miro modo cives omnes unanimiter in pacem assenserunt. JOAN. TRIT. lib. I, de Tent. relig. c. v.

Anno Domini 1033, Henricus III, Imperator, natura juvenis, hominibus affabilis, omnibus humilis, hostibus terribilis, pauperibus pius et largus, cum semel festum Pentecostes apud Moguntiam celebraret, diabolo suadente, inter famulos Archiepiscopi et famulos Abbat. Fuldensis contentione suborta de locatione, post verba deventum est ad verbera, ex quo Ecclesie pavimento cruore repletur; sed Episcopis et aliis convolantibus, pax inter dissidentes reformata est, templum purgatum, atque cum multa devotione Missa celebrata est, et cum ad illum versum Sequentiæ ventum est: Hunc diem gloriosum fecisti, vox ab aere lapsa est, dicens: Hunc diem bellicosum ego feci. Quo audit, rigentibus omnibus, Imperator diligenter intendens latitiam diaboli: Tu, inquit, omnis malitiæ inventor et incensur, diem bellicosum, et arrogantibus luctuosum fecisti; sed nos per Dei gratiam, qui illum gloriosum fecit, pauperibus et indigentibus gratiosum faciemus. Et mox reincepta sequentia, solemniter orationem Dei invocabant, completaque cum devotione Missa, omnibus pauperibus per præconem vocatis, omnia pretiosa cibaria que sibi et curialibus præparata erant, in usus illorum consumpsit, ipseque pius Imperator cum cæteris Prælati ac Ministris propriis manibus illis servavit. JOAN. NAECTER, vol. II, Chronogr. gener. XXXVI. An. 1033.

FUGA. — Abraham advertens rixas inter suos et fratris pastores exortas esse, dixit ad Lot: Ne, quæso, sit iurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos. Fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est; recede a me, obsecro; si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. GEN. XIII. 8.

S. Paulus licet oraculo Spiritus S. ab initio cum S. Barnaba conjunctus fuerit, tamen quia postea diversitas opinionum inter eos exorta fuerat, se ab eo segregavit, ne contentio inter eos exurgeret, uti S. Chrysost. testatus est diens: Mihi discrete videtur separatio Pauli a Barnaba facta, quod inter se dixerint: Quoniam ego non volo, ne tu vis, ne pugnemus, distribuamus Provincias. Et ita sibi invicem multum cedentes hoc fecerunt. ACT. XV, 30.

Unde idem S. Paulus Corinthiis postea scripsit: Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei. I COR. XI, 16.

S. Gregorius sententiam quamdam de certo Evangelii argumento explicans in concione, subjecit, si quis contrarium sentiat, malle se alienæ sententiæ salvæ Fidei veritate subscribere, quam cum aliquo contendere. S. GREG. hom. III, in Ev.

S. Ephrem testamentum conscripsit, non nummis sed meritis opulentum, in quo gratias agit Deo, quod nunquam litigavit cum ullo homine. DREX. in Phœt. c. x, § 4.

In Galliarum finibus, cum Abbas quidam graves cum domino quodam præpotente lites haberet, jamque eo devenisset contentio, ut secularis dominus integras cohortes in aciem educeret, ipse Abbas cum solis monachis equis impositis cruceque vexillo eidem obviam progressus est, quo viso, tantus hostes divini timoris horror invasit, ut protinus de equis desilientes arma projicerent, et in genua provoluti veniam peterent. SPEC. EV. V. Discor. ex. II.

S. Macarius audiens collitus se nondum pervenisse ad mensuram meriti daurum mulierum in civitate Alexandrina existentium, cum easdem indagasset et interrogasset, quibus potissimum virtutibus studerent? Responderunt illæ, se nihil aliud scire, nisi quod quindecim annis in eadem domo habitantes nunquam litigassent, sed semper pacem coluissent. Ib. ex. v.

Senex quidam, in vitis Patrum, egregie admonet: Si quis, ait, aut de Scripturis, aut

de quacunque causa locutus fuerit, ne contendas cum eo, sed si quidem bene dicit, consentias ei, si vero male, dic ei: Tu scis quomodo loqueris. Ait enim Apostolus: Nolite contendere verbis. Hoc observans et humilitatem possidebis, et odium evitabis. Nam si persistas contendens, et vis defendere sermonem tuum, nascetur scandalum. EX VIT. PATRUM, p. II, p. 175.

DAMNUM. — Duo adolescentes, quia de lacu ex paterna hereditate relicto foede contendebant, nec etiam S. Gregorio Thaumaturgo, quem arbitrum litis constituerant, cedere volebant, effecerunt, ut ad ejusdem Sancti preces lacus totus exsiccaretur. EUSEB. lib. VII, c. xxv.

Quidam Sacerdos, capitalem cum alio Sacerdote discordiam fovens ad eundem assumpta secum lancea perrexit; verum ingruentibus tenebris quique nigros equites obvios habuit, quorum duci cum manum offerret (putans eum esse alium, a quo jam sæpe sollicitatus erat, ut ejus subditus fieret) et fidelitatem promitteret, dux diens diabolum se esse, et ad servanda promissa hortatus, cum sociis disparuit. Unde ipse territus Episcopum adiit, factum narravit, et seriam penitentiam egit. S. PETERUS DAX. I. IV, ep. xvii.

Ve ulla quædam, quia a diabolo loculum nummis plenum acceperat, ut discordiam inter maritum quemdam et uxorem seminaret, ea seminata audivit a dæmone: Quod triginta annis ego perficere non potui, tu tribus diebus effecisti; digna proinde es competente præmio. Secumque vivam in infernum abripuit. SPEC. EV. I. c. ex. x.

Frater quidam conversus in monasterio Schonang, quia ob certum calceamentorum genus singulis annis dari solitum et ab Abbate ob graves causas abrogatum, reliquos adversus dictum Abbatem concitavit; post aliquot monitiones et castigationes frustra factas, denique ut idem Abbas prædixerat, pridie Natalis Domini, quo consilium ab eo suggestum de calceamentis minutim scindendis executioni mandari debebat, subito vocem cum gemitu extollens et pallescente facie, naribus contractis, oculisque eversis, inter brachia socii conspirantis expiravit. IBID. ex. xvii.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius summe detestabatur lites et contentiones; hinc etiam in gravissimi mo-

menti controversiis cedere malebat, quam litigare, etiam si cum sat magno incommodo suo id fieret, uti factum est, cum in refectorium Domus Professe perobscurum vetuit fenestram in communi muro effingi, eo quod vicinus, licet contra jus, concedere id nollit. Addebat autem ejusmodi studium concordie non modo per honestum et liberale, sed etiam valde proficuum esse ad benedictionem a Deo, propter quem et ex amore justitiæ ac charitatis fraternæ damnum in temporalibus patimur, obtinendam. VIT. I. V, c. II.

S. Franciscus Xaverius semper quidem, sed maxime pro suggestu contentiones et certamina vitari jubebat, quamvis justæ certaminum, multaque ac magnæ causæ incidissent; ex talibus enim concionibus non solum Dei populique offensionem oriri, sed etiam certantium, cultusque divini perturbationem. VITA, I. IV, c. xxii.

Coccius cum Sodales quosdam, qui Soc. Jesu templum concesserant, Patribus infestiores esse cognovisset, ipsemet magna honestissimorum hominum frequentia prostratus claves templi ante eorum posuit pedes, eaque demissione offensos animos penitus placavit. IBIDEM, I. IV, c. xiii.

P. Petrus Faber Alphonso Alvaro inter alia hoc etiam præceptum dabat: Offensivulas statim elide, ex illoque Apostolico monito: Sol non occidat super iracundiam vestram. Ne quieti te des ante quam fratri reconcilieris, eique ipsi simpliciter animi tui commotionem aperias. Id est colaphum demoni impingere, eui reconciliatio et demissio illa acerrimum dolorem ac probrum inurit. VITA, I. II, c. xiii.

Joannes Berchman in lusu nunquam vocem clamorem edebat, aut cum altero contendebat. Imo inter alia sibi hoc etiam præceptum fecerat: In rebus agendis cave a spiritu contentiosis et contradictionis, et quando aliquid faciendum est, ut laborandum in culina, libenter sequearis iudicium alterius, et idem sentias in rebus levioribus.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut vultures ad extincta corpora odore feruntur, sana non sentiunt; ita mali delicta statim olfaciunt, et ob ea litigant et contendunt, ad recte facta stupidi. PLIN. I. x.

Sicut macula statim eluenda est, ne inharcescat, et difficilior eximatur; ita dissensio fratrum illico tollenda est, ne odium gignat. PLUTARC. in Mor.

Sicut unico gallo cantante, aut cane latrante, mox alii etiam galli canunt, vel canes latrant; ita fatuus, si incidat in hominem contensiosum, ambo clamare, et extra se ire incipiunt. DREX. in Phœt. c. x, §. 1.

Sicut qui apprehenderit auribus canem, sic qui transit impatiens, et commisceatur rixæ alterius. PROV. XXVI, 17.

Sicut echo silvarum tamdiu clamoribus respondet, quamdiu clamatur; ita inter litigantes non cessat contentio, quamdiu neuter a clamore desistit. DREX. l. c. §. 4.

DAMNUM. — Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit; sic ira corrumpit eor, si in alium diem duraverit. S. AUG. ep. 87.

Sicut ventis certantibus universum mare concutitur et conturbatur; sic Regibus aut Principibus sibi adversantibus populus vexatur. S. CHRYS. in c. I. Matth.

Sicut in musica, si vel unica chorda dissensit, ingrattissimus sonus efficitur; ita in communitate, si vel unicum membrum discordet, dulcedo pacis et charitatis corrumpitur et turbatur. Id. hom. XXVI, in Num.

Sicut singula hastilia aut tela facile franguntur, non item si plura uno vinculo sint colligata; sic vires per concordiam unitæ difficulter superantur, facile autem si per discordiam sunt separate. PLUTARC. in Mor.

Sicut periculum, quod navi in unum latus inclinatæ et ad submersionem tendenti impendat, avertitur, si omnes in alterum latus se inclinent; ita exitium, quod interdum Reipublicæ imminet, per civium concordiam evitatur. Idem.

Sicut aqua, si in locos hiantes ac ductos influit, magis eos divellit; ita qui discordias impetunt componere satagit, sæpe magis illas adauget. Idem.

MOTIVA.

Quia diabolicum est vitium; uti S. Gregorius indicavit, dum dixit: Admonendi sunt, qui jurgia seminant, ut, cujus sint sequaces, agnoscant. S. GREG. III, p. Post admon. 23.

Quia stultissimum est vitium; juxta Salomonem enim: Labia stulti miscent se rixis,

et os ejus jurgia provocat. PROV. XVIII, 6.

Quia nocentissimum est vitium; uti S. Gregorius iterum testatus est dicens: Admonendi sunt dissidentes, ut noverint, quod tamdiu nullum boni operis sacrificium Deo immolant, quamdiu a proximorum charitate discordant. Scriptum namque est: Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo. Ex qua præceptione pensandum est, quorum hostia repellitur, quam intolerabilis culpa monstratur. Nam cum mala cunctis bonis operibus sequentibus diluantur, pensemus, quanta sint mala discordiæ, quæ, nisi extincta penitus fuerint, bonum subsequi non permittit. S. GREG. l. c.

Quia summum impedimentum orationis affert; hinc S. Augustinus Fratres suos monuit dicens: Si invicem se læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt propter orationes vestras, quas utique, quanto crebriores habetis, tanto saniores habere debetis. S. AUG. Ep. 109.

Quia plurimorum vitiorum est radix; in uno enim malo innumera peragunt, qui seminando discordiam, charitatem, quæ virtutum omnium mater est, extinguunt. Quia autem nihil pretiosius est Deo virtute dilectionis, nihil est delectabilius diabolo extinctione charitatis. S. GREG. III, Past. admonit. 23.

Quia mali homines ad patrandum malum tam sunt concordēs; hinc lamentans S. Hieronymus ait: Infelix populus Dei non potest in bono tantam habere concordiam, quantum mali habent in malo. S. HIER. in Ps. 82.

Quia præstat honeste vinci, quam periculose ac nefarie vincere, teste S. Greg. Nazianzeno. Non enim tantum est egregium scire vincere, sed etiam posse vinci pulchrum est, ubi victoria damnosa est, inquit recte Plutarcus. PLUT. l. de Educ. liber.

MEDIA.

Virtuti charitatis studere; nam, teste S. Aug. contentioni non resistitur, nisi crebro vinorum librorum testimonio inculciatur timor et charitas Dei. S. AUG. ep. LXIV.

Silentium servare, dum alter contendit; ita S. Chrysos. suavitatis dicens: Malum hominem

tacendo, et locum dando melius vinci, quam respondendo, quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur. Et, teste S. Valeriano, plena victoria est, ad clamantem tacere et non respondere provocanti; id quod S. Chrys. similitudine venti per duas januas flantis declarat, quarum si utraque aperta sit, ventus vehementius furere pergat; omnes autem mox vires amittit, si alterutra claudatur. S. CHRYS. hom. XXXVIII, in c. XXII. Matth.

Cedere loco; ut S. Ambros. suavitatis dicens: Resiste iræ, si potes; cede, si non potes. Quia scriptum est: Date locum iræ. Jacob fratri indignanti pie cessit et ideo tantam apud Deum invenit gratiam. Certe Isocrati videtur humanitatis officium deserere eum, qui rixosus est, et contra omnia contendit. S. AMB. l. II. Offic. c. II.

Cito componere; id quod majores nostri docuerunt, convivium sollempne instituentes, quod Eucharistiam vocaverunt, cui præter cognatos et affines nemo aderat, ut si quæ inter eos querelæ essent exortæ, apud sacram mensam et inter hilaritatem animarum, factoribus concordiæ adhibitis, tollerentur. VALER. MAX. l. II.

Castigatio seria; nam, teste Cassiodoro, cogi debet esse quietus, qui suo vitio renuit esse pacificus. CASS. l. I, ep. 1.

ASCETICA.

Tria præcipue sunt, quæ circa hoc vitium bene advertere debet Asceta. Primum est, ut sciat, quando permittere possit dissensiones; nam, ut sapienter dixit S. Aug. «Dissensiones nunquam debent amari; sed aliquando tamen aut ex charitate nascuntur, aut charitatem probant. Quis enim facile invenitur, qui velit reprehendi? Et ubi est ille sapiens, de quo scriptum est: Corripe sapientem, et amabit te? Nunquid tamen ideo non debemus reprehendere et corripere fratrem, ne securus tendat in mortem.» S. AUG. ep. c. LVII.

Aliam causam permissionis affert S. Greg. dum ait: Sicut noxium esse solet, si unitas desit bonis, ita perniciosum est, si sit in malis, perversos quippe unitas corroborat, dum concordant, et tanto magis incorrigibiles, quanto magis unanimes fecit. S. GREG. l. XXXIII. Mor.

Id quod apposite per fabulam confirmavit nonnemo, dum fixit: Accipitres quondam

accerrime inter se belligeratos fuisse. Quos proin Columbe pacificare conate effecerunt, ut ipsi quidem inter se concordēs essent, sed odium in Columbas converterent, easque ad necem usque persequerentur. Hinc Melancthus dicere solebat, Republicam Atheniensium dissidis oratorum servari, quod, cum non incumbant universi in unum latus navigii, fiat, ut ab altera parte veluti pondere opposito administratio libretur. LANG. in Polyanth. v. conc.

Alterum est, ut sciat solidum modum vitandi discordias, quem quidem pulchre S. Gregorius indicavit, dum dixit: Boni viri freno consilii retinent præcipitationem verbi, et caute considerant, ne relaxantem linguæ lasciviam auditorum conscientiam incauta locutione transigant. Unde bene per Salomonem dicitur: Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. Aqua quippe dimittitur, cum linguæ fluxus effrenatur. Sed dimissor aque caput jurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam discordiæ origo propinatur. S. GREG. l. V. Mor. c. XII.

Tertium est, ut solidum quoque medium sciat sedandi discordias exortas, quale quidem S. Ambrosius assignat dicens: Illæ commotiones in pueris innoxie sunt, quæ plus habent gratiæ quam amaritudinis. Et si cito pueri inter se moventur, facile sedantur, et majori suavitate in se recurrunt. Nesciunt se subdole, artificiosè tractare. Nolite contemnere hos pueros, de quibus Dominus ait: Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum celorum. S. AMB. l. Offic. 21.

Aliud medium suggestit alius, qui dixit: Sicut tormenta bellica majora, si muro allidantur, perfringunt, si in saccum laneum deferantur, non penetrant, et sine noxa sunt; ita litigantes ac contentionum amatores si in mitem incurrant, vim amittunt nocendi, si autem in sui similem offendant, utrinque detrimentum contrahitur. DREX. in Phœt. c. x, §. 3.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: «Unde bella et lites in vobis?» LCC. IV, 1.

Potest ostendi. I. Quam grave bellum sit discordia, quia videlicet aufert opes spirituales et temporales, famam, societatis humanæ jucunditatem, et ipsam denique vitam

temporalem et æternam. 2. Demonstrari potest, quam vere dixerit S. Jacobus, has discordias ex nimio amore erga res terrenas oriri; id quod etiam Aristoteles agnovit, dum dixit: Nobilitas generis et divitiarum sunt fontes et principia seditionum. ARIST. l. V. cit.

Ex occasione thematis: « Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio: » PROV. XVII, 1.

Ostendi potest, quomodo talis buccella sicca cum gaudio, seu pace, melior sit 1. *Deo*, cui nullum opus placere potest ab homine contentioso oblatum. 2. *Reipublicæ*, cujus incoluntis a concordia membrorum pendet. 3. *Rei familiaris domesticæ*, quia concordia res parva crescit, discordia maximæ dilabuntur. 4. *Corpori*, quia sicut spiritus tristis exsiccet ossa; ita iucunditas mentis etiam in corpus redundat, bonumque sanguinem efficit. 5. *Animæ*, quia præsertim a multis peccatis, et veram ei quietem conciliat.

Ex occasione thematis: « Omne Regnum divisum contra se desolabitur: » MATTH. XII, 15.

Ostendi potest per inductionem variorum Regnorum, quomodo per discordiam desolata sint. 1. *Regnum caeleste*, per discordiam Angelorum, ubi ruina eorum fusius explicari. 2. *Regnum terrestre*, ubi per inductionem Regnorum Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, et maxime Romani, fuscè demonstrari potest, quantam cladem his Regnis crearet discordia. 3. *Regnum spirituale animæ*, quod intra nos est, et gravissimam desolationem patitur per discordiam, quia interna radicè gaudii et meritum caelestium privatur per eam, et, uno verbo, omnes effectus belli spiritualiter experitur.

Ex occasione thematis: « Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una: » ACT. IV, 32.

Dici potest, sicut olim Babylonii turrim feliciter edificaverunt, quamdiu fuerunt unius labii et lingue; ita Christum, quia volebat ostendere, quomodo Christiani turrim Evangelicæ perfectionis edificare deberent, exemplum, in primis Christianis relinquere voluisse, ut qui summam inter se cordis et oris concordiam servarunt. Dein ostendatur, quo medio usi sint ad hanc concordiam servandam, scilicet, quia nemo eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illi omnia communia; id quod et nunc fieri potest, si, ut Apostolus monet, qui

utuntur hoc mundo, tanquam non utentes, et qui possident, tanquam non possidentes sint.

Ex occasione thematis: « Zizania autem filii sunt nequam. » MATTH. XV, 38.

Comparari possunt contentiosi zizaniis. 1. Quia seminantur ab inimico, scilicet a diabolo, cujus sunt ministri et filii. 2. Quia seminantur, cum dormiunt homines, maxime Prælati, quorum officium est, ejusmodi seminationem præcavere. 3. Quia, ut zizania, in se sunt infructuosi, non enim quidquam possunt gratum præstare Deo, quamdiu discordias fovent. 4. Quia, ut zizania, impediunt a profectu bonum semen justorum, et sæpe omnino suffocant. 5. Quia olim separabuntur a tritico, id est, justis hominibus, et colligati in æternum ignem conicientur. Vide Fabrum, conc. VIII, in Dom. v, post. Epiph. n. 3.

MISCELLANEA.

QUALITAS.— Cum mulier quædam, crebro a marito verberata, consilium ab amico peteret, et qua ratione se a tot verberibus liberare posset, quaereret, ille vasculum communi aqua plenum obtulit, et hac, quoties iratus maritus litigaret, os implere jussit, nec deglutire, donec mariti ira deferbuisset. Quo facto significare voluit, silentium esse optimum remedium ad aliorum contentiones sedandas.

Petronius Discordiam recte sic descripsit:

Intrēmuerè tubæ, ac scisso Discordiæ crine
Extulit ad superos stygium caput: hujus in ore
Concretus sanguis: contusaque lamina flebant.
Stabant irati scabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obsessa Draconibus ora,
Atque inter toto laceratam pectorè vestem
Sanguineam tremula quatiēbat lampada dextra.

Omne bellum, inquit recte Sallustius, facile sumitur, ceterum agerrime finitur; non enim in ejusdem potestate initium et finis est. *In Jurgurtha.*

Seilurus, Rex Scytharum, moriturus fasciculum LXXX sagittarum colligatum sibi afferri, et singulos filios, qui octoginta erant, vocari jussit; quibus eum fasciculum in primis ligatum obtulisset, et nullus ex eis frangere illum potuisset, solvi eundem et singulas sagittas singulis filiis offerri præcepit, atque, ut frangerent, hortatus est; quod cum illi facile præstitissent, hanc memorabilem illis doctrinam dedit: Sic vobiscum res habebit, o filii; quamdiu per vinculum

charitatis, et concordie conjuncti manebitis, invicti eritis; imbecilles vero, si per discordiam dissoluti sua quisque commoda dumtaxat quæsiereritis.

DAMNUM.— Discordiæ damna, breviter, sed nervose descripsit, Virgilius, dum cecinit. Tu potes unanimes armare in prælia Fratres, Atque odiis versare domos; tu verbera tectis, Funereasque inferre faces, tibi nomina mille, Mille nocendi artes.

VIRGILIUS, LIB. VII.

Alphonsus sæpe numero dicere solitus est, se, si Romanorum tempore vixisset, constructurum fuisse templum Jovi Positorio, ut de rebus actis prius in eo convenirent, et omnem contentionem deponerent. Quo dicto innuere voluit, nihil Reipublicæ æque perniciosum esse, quam si plebs cum magistratu non concordaret. PANORM. l. III, *de reb. gest. Alph.*

Tytheus lapis, quamvis grandis sit, innatat tamen undis, comminutus vero mox subsidit; sic concordia sustinetur, discordia pessum imus. PLENIUS. l. XXXVI, c. XVII.

Inter Agathallos et Acanthylides tanta est discordia et odium, ut, si sanguis eorum vi miscatur, continuo se rursus separant, ac dissiliunt. PLUTARCH. in *Moral.*

AXIOMATA.

Concordia res parvæ crescent, discordia maxima dilabuntur.

Contra verbosus noli contendere verbis. Ubi multæ rixæ, ibi multæ injuriæ. PLUT. in *Moral.* c. X.

AUCTORES.

Joannes Blesius, in Panorio V. eodem.
Hieronias Drexelius, in Phaetonte, c. X.
Josephus Langius, in Polyanthæa V. eodem.
Joannes Major, in Speculo magno Exemplorum. V. eodem.
Antonius Dauroltius, in Floribus Exemplorum, c. v, tit. 20.

DIVITLÆ.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO.— Sunt bona externa, ad usum hominum a Domino concessa. Unde etiam opes vocantur, quia homini tum ad proprias,

tum ad alienas necessitates sublevandas, opem et auxilium præstant.

DIVISIO.— Dividuntur in *mobiles et immobiles*, quarum istæ in agris, fundis, ædificiis, et similibus bonis consistunt, illæ vero pecuniam, gemmas, uniones, vasa aurea et argentea, aliamque suppellectilem, uti et pecora, continent.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS.— Dives, cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos, et nihil inveniet. Apprehendet eum, quasi aqua, inopia, et nocte eum opprimet tempestas. JOB. XXVII, v. 19.

Nec timueris, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. PSAL. XLVIII, 17.

Dormierunt somnum suum, et nihil inveniunt omnes viri divitiarum in manibus suis. PSAL. LXXV, 6.

Et relinquunt alienis divitias suas, et sepulchra eorum domus illorum in æternum. PSAL. XLVIII, 12.

Argentum eorum et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini. SOPHON. l. 18.

Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur, frater non redimit, nec redimet homo, non dabit Deo placeationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ. PSAL. XLVIII, 7.

Tela araneæ texerunt; tela eorum non erunt vestimentum, neque operientur operibus suis. Opera eorum inutilia, opus iniquitatis in manibus eorum. ISAIAS. LIX, 5.

FUGA.— Noli laborare, ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. PROV. XXV, 4.

Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cælum. *ib.* 3.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. PSAL. LXXI, 11.

Mendicatem et divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciat ad negandum et dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus fuerit, et perjurem nomen Dei mei. PROV. XXX, 8.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi fures effodiunt et furantur, ubi serugo et tineæ demolitur. MATTH. VI, 19.

Divitiis hujus sæculi præcipe, non su-

blime sapere, neque sapere in incerto divitiarum, sed in Deo vivo. TIMOTH. VI. 17.

DAMNUM. — Nihil est iniquius, quam amare pecuniam; hic enim et animam suam venalem habet. ECCL. X. 16.

Ubi sunt, qui thesaurizant argentum et aurum, in quo confidunt homines? Ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt. BARUC. III. 18.

Si dives fueris, non eris immunis a delicto. ECCL. XI. 10.

Multos perdidit aurum et argentum, et usque ad cor Regum extendit, et convertit. II. VII. 3.

Qui volunt divites fieri, incident in tentationes et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, que mergunt homines in interitum et perditionem. TIMOTH. VI. 9.

Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum celorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum celorum. MATTH. I. 13.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Solæ divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus efficiunt. Si ergo, Fratres, divites esse cupitis, veras divitiæ amate. S. GREG. in *Ev.*

Divitiæ maximæ sunt, non egere divitiis. S. CHRYS. in *hom.*

Aurum et argentum, et cætera hujusmodi, quantum ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala; usus tamen horum bonus, abusus mala, sollicitudo peior, questus turpior. S. BERN. *serm.* 4.

Ad subsidium vite, non ad malorum incrementum, opes datæ sunt: pecunia animæ redemptionem est, non exiti occasio. S. BASIL. *apud. March. in Horto post. Tub. sac. tr. II. lect. I.*

Divitiæ ut impedimenta sunt improbis, ita adjunctamenta virtutis sunt bonis. S. AMBROS. *sup. Luc.*

Divitiarum morbus superbia est, nam grandis animus est qui inter divitiis isto morbo non tenetur. S. AUG. s. XXIV.

Dives vere est qui in Deo dives est. S. CHRYSOST.

Ubi aurum pluit, ibi pluit vitium. S. GREG. *FECA.* — Quid prodest arca plena pecuniis, si inanis sit conscientia? Bona vis habere.

et tu bonus esse non vis? Erubescere debes de bonis tuis, si domus plena bonis te malum habet dominum. Quid prodest diviti, quod habet, si Deum, qui omnia dedit, non habet? S. HIER. s. XII. *de ver. Dom.*

Habes terræ partim arboribus consita, partim aratro utilis tot jugera? præterea vineas, montes, campos, saltus, flumina, loca amena. Quid ergo posthæc? Nonne teluris tres tantum cubiti te expectant? Nonne parvus lapis ad tui miseri corporis custodiam satis erit? S. BASIL. I. cap.

Quid attonitus aurum miraris? Lapis est aurum, lapis est argentum, lapis margarita, lapides sunt chrysolitus, beryllus, achates, hyacinthus, amethystus, jaspis. Hæc summa, hi flores opum magnarum. Ibidem.

Cui mors ob divitiis parci? A quo morbus ob pecuniam abstinet? Quosque igitur opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati esca? Ibidem.

DAMNUM. — Qui male utitur divitiis, miserabilis est, ut ille, qui sponte se vulneraverit eo gladio, quem ad vindictam hostium sumpsit. S. GREG. *Nazianz.*

Divitiarum sequela est luxuria, ira, intemperantia, furor injustus, arrogantia superbia, omnisque irrationalis motus. S. CHRYS. I. *Nemo læditur.*

Camelus unum solum pondus habet, dives duo, unum terrenarum possessionum, aliud peccatorum. Primum in morte deponitur, aliud (velit, nolit) moriens retinet, nisi ante mortem deponat, S. BERN. *in serm.*

Omnis dives aut est iniquus, aut iniqui hæres. S. HIER. *in ep. ad Hebr.*

Undequaque, ubi ipse attingeris, innatis aculeis manus eruant. THEOPH. *in c. VI. ep. I ad Tim.*

Dives nihil aliud esse videtur, quam civitas quædam absque muris in agro sita, et undique insidiantibus exposita; paupertas vero e contrario securum præsidium est, et expugnata difficile. S. CHRYS. *hom. XIII. in Act. Ap.*

Si intueri volueris animam hominis aurum amantis, invenies eam, ut vestimentum a decem millibus vermium corrosam, ita eam perforatam undique a sollicitudinibus, et a peccatis putrefactam, et ærugine plenam. Id. *hom. XXVII. in Matth.*

Aurum et divitiæ homines in demones mutant. S. CHRYS. *sup. ep. ad Cor. hom. XL.*

Divitiæ multorum periculorum auctores sunt. Id. *super Matth. hom. III.*

Aurum et divitiæ sunt materia laborum, periculum possidentium, enervatio virtutum; aurum est malus dominus, proditor servus. Id. *de Verbo Dom.*

Crates Thebanus, vir ditissimus, projectit divitiis in mare dicens: Ite, pessimæ divitiæ, præstat, ut vos mergam, quam ut a vobis mergar. FAB. *conc. VI. in Dom. XIV. post Pent.*

Babytaes, in Septentrionali Tigri alveo siti incolæ, aurum in odio usque adeo habent, ut coemant illud ac defodiunt, ne cui mortalium sit in usu. PLIN. I. VI. c. XXVII.

Anacreon Philosophus, cum a Polyrate, Samiæ Rege, decem millia ducentorum dono accepisset, ideoque ob phantasias et curas animi inde exortas triduo insomnis fuisset, remisit donum, jubens retinere res suas, quando præter curas et inquietudinem aliud nihil donare posset. FAB. *conc. II. in Dom. Sczag.*

Telerus percortanti, quantum possideret auri? non plus, respondit, quam sat est; quo dicto clare ostendit, se divitiis non cupiditate, sed usu metiri. PLUT. *in Lacon.*

Themistocles cum inter deambulandum torquem aureum huius jacentem vidisset, vocans ad se ex pueris quemdam dixisse fertur: Quin hoc tollis, o puer, non enim tu es Themistocles! Id. *in apoph.*

De Alarico, Gothorum Duce, scribitur cum jam trajicere in Siciliam exercitum frustra tentaret, et inopinatus se possidere divitiis gloriaretur, apud Consentia regionem subita morte defungitur. RAUL. *DIACON. c. XIII. Miscell.*

Cum aliquando Beatus Ambrosius Romanum proficerecetur atque in Hetruria a prædite fuisset hospicio exceptus, jactabat ille divitas, familiam, filios, ac prospera omnia, nihilque sibi accidisse infeliceiter. Id. animadvertens Ambrosius, discessum accelerandum instituit, quod tanta prosperarum rerum affluentia exitum longe infelicissimum habitura foret. Hortatus igitur suos est, ut inde mox omnes secum abscederent, ne iræ Dei furorem experirentur. Absentibus omnibus, mox hospes cum reliqua familia domoque omni hiatu patente absorpti sunt. MARCELL. I. II. c. III.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut putei, qui exhauriuntur, melius flunt, quibus si suas aquas intactas relinquant, fetorem contrahunt; ita etiam divitiarum quies inutilis, motus et

EXEMPLA.

S. Job, quomodo erga divitiis affectus fuerit, testatur ipse, dum ait: Si lætatus sum super multis divitiis meis et quia plurima reperit manus mea etc. pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina. JOB. XXXI. 23.

Friedericus Imperator, cum Ladislaum Ungariæ Regem, adhuc puerum educaret et proceres clam suaderent, ut occidi curaret Ladislaum, quo ejus opibus et regno potiretur, respondit: Ego sane non ita amo divitiis, ut propter eas tam impium facinus attentem. ÆNEAS SILV. I. IV. *de Gestis Alph.*

Sigismundus Caesar, cum quadraginta millia aureorum ex Ungaria allata essent et in thialamo regio recondita, dum cogitat, quem in usum hanc pecuniam expendere velit, somnus illum destituit. Quare excitatis cubiculariis jussit proceres et duces militum convocari, quibus, cum totam eam summam distribuisset: Ite, inquit, nam nunc nobis tranquille ac secure dormire licet, postquam id, quod somnum ademit, procul a cubiculo aberit. ÆNEAS SILV. I. IV. *de gest. Alph.*

Maximilianus Caesar, etsi non raro ingens pondus pecuniæ ad eum deferretur, semper tamen ad quæstiones portari jussit, dicens, se regendis hominibus constitutum, nec auri custodiam sibi demandatam, quo si quis se mel capiat, mox e Rege servum futurum. LANG. *in Polyanth. V. eod.*

Euphrasia, Antigoni filia, promittenti Theodosio Imperatori opulentam dotem, si adolescenti cuiquam Patriio, cui a parentibus promissa fuerat, nuberet, respondit: Opes meæ Christus est, tu tuas aliis dato. Sicque monasterium ingressa, Christo se dispensavit. ÆNEAS SILV. I. *de Gest. Alph.*

Encurtus interrogatus, uter esse mallet, Cæsus, an Socrates? respondit: Vivens mallem esse Cæsus, sed moriens Socrates. STROBILUS *ap. Lang.*

Lycurgus quæsitus, cur hostium interfectorum corpora spoliare prohibuisset? respondit: Ne milites ditescant, et dum præda incumbunt, pugnam negligant. PLUT. *in Lacon.*

transgressus publice utilis est et fructuosus. S. BASILIUS in *Lucam*.

Sicut equus, si freno careat, usui non est hominibus; sic nec divitiæ, nisi recta ratione gubernentur. STOB. ser. III, de *Temper.*

Sicut non melior est gubernator, cui pulchrius aut majus est navigium; ita nec melior est vir cui fortuna splendidior. SENECA de *Vit. beat.*

Sicut planta, quæ citissime oriuntur, brevissime durant; ita raro solent multos successores dilare, quæ celeriter obtinentur divitiæ. LANG. in *Polyanth.* V. eod.

Sicut muscæ, si modice delibent mel, incolumes evadunt; secus si toto corpore se immergant; ita qui moderate utitur divitiis innoxius manebit, non item, qui cor apponit. FAB. c. VI in *Dom.* XIV. post *Pent.*

Sicut in symphonia is tantum vituperatur, qui male et dissonanter canit; ita Deus non nisi illos divites odit, qui abutuntur divitiis. Ib. con. VII.

DAMNUM. — Sicut luna tunc solum patitur eclipsem, cum plena est; ita turgidi divitiis sunt inanes gratiis, et obscurati peccatis. BESS. EUS. in *Dom.* I. post *Trinit.*

Sicut aranea succum floris optimum in venenum pessimum convertit; ita quidam divitiis, aliaque dona Dei ac beneficia in scandalum et offensam ejus vertunt. Ibid.

Sicut eos, qui nudi fugiunt adversarium, nemo facile lenere potest, qui vero vestimentum post se trahit, eum quis facile apprehendit; ita pauper, si capiatur, facillime fugere potest, dives vero, etiamsi non capiatur, suis tamen compedibus irretitur, curis innumeris et cogitationibus adstrictus. S. CHRYSOS. hom. VI. in *ep. ad. Tit.* c. III.

Sicut nubes prætervolantes aspectum solis nobis eripiunt; ita divitiarum amor cogitationem Dei turbat. FAB. c. V. in *Dom.* XIV. post *Pent.*

Sicut vestes talares corpora, ita divitiæ animas impediunt in via mandatorum currere. DEMOCR. ap. STOB. f. 91.

Sicut flos feni a sole arefactus decidit, et decor vultus ejus deperit; ita et dives in itineribus suis marcescet. JAC. I.

Sicut camelus non potest transire perforamen acus, nisi in minima fila dividatur; ita dives non potest intrare in Regnum cælorum, nisi suas divitiis etiam aliis distribuat. LUC. XVIII.

Sicut spinæ steriles sunt, quæ tangunt, laerant, ignem facile concipiunt, et viperis

scorpiisque sub se delitescitibus scant; ita divitiæ, earumque immoderata cupiditas hæc omnia suo modo tanto pejus participant, quanto digniores sunt, quos lacerant, et quanto acerbior est ignis, cui pabulum subministrant, et quanto noentiora sunt peccata, quæ fervent. S. CHRYS. hom. in *Joan.*

Sicut Absalonem crines sui valde ornabant, amabilemque efficiebant, simul tamen etiam valde gravabant, unde semel in anno tondebatur; ita divitiæ possessori suo magnam quidem apud homines gratiam et amorem conciliant, sed simul tamen animam, et conscientiam valde gravant, et cruciant. BESS. in *Dom.* XX. post *Pent.*

MOTIVA.

Ad divitiis spernendas.

Quia impediunt a servitio Dei; uti ipse Christus dixit: Non potestis Deo servire et mammonæ. Hinc S. Lucius, Rex Angliæ, cum audisset de celo vocem dicentem sibi: Luci, non potes duobus Dominis servire, mox regno relicto vocentem Deum secutus, Sueviæque Apostolus est factus. FAB. tom. V. in *Dom.* XIV. post *Pent.*

Quia impediunt ab oratione; ubi enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum, inquit Christus. Hinc pictor quidam divitem orantem pingens, varias lineas ab ore ejus ad agros, vineas, cellam, thesaurum, familiam direxit, ut significaret, a quam multis objectis animus ejus ab oratione abstraheretur. MATT. XXVI, 21.

Quia ab animi libertate impediunt. Sunt quippe aurei compedes, quibus homo constringitur, ut non, quod ratio dicitur, faciat, sed quod divitiarum error et cupiditas imperat, exaquatur.

Quia impediunt quietem et jucunditatem animi; ut testatus est faber ille, qui cum semper antea sub labore cecinisset, conjecto a quopiam in officinam marsupio pecuniis pleno, mox canere desit, quia mentem inventæ pecuniæ, et timor, ne repeterentur, occupabant.

Quia a Regno cælorum impediunt; ut ipse iterum Christus testatus est dicens: Filii, quam difficile est, confidentes in pecuniis in Regnum Dei introire! MARC. X, 2.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta circa divitiis bene observare, aliisque inculcare debet. Primum est, ut earum fallaciam bene cognoscat, atque adeo eas mature abiciat et perdat, ne ab iis perdatur.

Secundum est, ut, cum sæpe non possunt omnibus bonis se privare, doceat solidum et securum modum iisdem utendi, ut scilicet cor non apponant, siquo utantur, quasi non utentes.

Tertium est, ut ad veras et spirituales divitiis potissimum suam curam, et convertat ipse, et alios convertere persuadeat, eas nempe de quibus S. Bern. dixit: Veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. S. BERN. in *serm.*

Ad has enim ipse etiam Christus hortatus est, dicens: Thesaurizate autem vobis thesauros in celo, ubi neque ærogo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. MATT. VI, 20.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Recte de pecuniarum efficaciam cecinit Ovidius.

In pretio pretium nunc est: dat census honores, Censu amicitias, pauper ubique jacet.

Ovm. I. Fast.

Is maxime divitiis fruitur (ut sapienter advertit Seneca) qui minime divitiis indiget. Nemo autem sollicito bono fruitur; ille studet aliquid adicere; dum de incremento cogitat, oblitus est boni. SENECA, ep. XIV.

Quid refert, quantum illi in area, quantum in horreis jaceat, si alieno inhiat, si non quesita, sed quaerenda computet? Non enim pauper est, qui minus habet, sed qui minus cupit, dives. Si ad naturam vives, nunquam eris pauper. Si ad opinionem, nunquam eris dives. Exiguam naturam desiderat, opinio immensum. Id. ep. XVI, ad *Lucil.*

Nemo alius est Deo dignior, quam qui opes contempsit, quarum possessionem tibi non interdico, sed efficere volo, ut illas intrepide possideas. Id. ep. XVIII.

Socrates interroganti, quis ipsi ditissimus videretur? respondit: Qui paucissimis contentus est. STOB. s. 2.

Plato quæsitus, quantas opes habere conveniret? dixit: Quantæ possidenti neque in-

sidias pariunt, neque rerum necessariorum inopiam. Id. s. 90.

DAMNUM. — Breviter, sed bene hoc expressit, qui cecinit:

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?
Effodiantur opes, irritamenta malorum.

Ovm. in *Metam.*

Nihil est tam angusti, tamque parvi animi, teste Cicerone, quam amare divitiis; nihil honestius, magnificentiusque, quam pecunias contemnere. CIC. I. II. *Offic.*

Chilon percontatus, quid essent divitiæ? respondit: Thesaurus malorum, calamitas viæ, cum, improbitatis suppeditatio. LANG. in *Polyanth.* V. eod.

Diogenes dicere solebat, neque in civitate, neque in domo opulenta, habitandi locum esse virtuti. STOB. s. IX.

Plato rogatus ab Eriensibus civibus, ut leges eis daret, renuit, eo quod divites essent, qui ordinare regere, quam regni malant. FAB. conc. V. in *Dom.* XIV. post *Pent.*

FECA. — Cum olim Philosophi coram Philippo, Macedonum Rege, disputassent, quæ res in mundo maxima esset, et alii montem Olympum, alii solem, alii mare maximum dicerent, postremus ac sapientissimus, animum terrena omnia (atque adeo et divitiis) despicientem, et illis omnibus superstantem, maximum, esse cum veritate dixit. Ib. *Conc.* VIII. n. 4.

Epicurus scribens ad Pythocleam: Si vis, inquit, te divitem facere, non pecunie adiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est. SENECA, apud LANG.

Quod Lydius lapis auro est, dicebat Chilon, hoc aurum est homini. Lapis enim indidem adfricti prodit, quale sit aurum; ipsum autem aurum arguit, quale sit hominis ingenium. LAERT. in *ejus Vita.*

Divitem illum putas, inquit Seneca, quem aurea suppellex in via sequitur, qui in omnibus provinciis arat, qui multum suburbani agri possidet? Cum omnia dixeris, pauper est? Quare. Quia debet. Quantum? inquit. Omnia, nisi forte tu dicas, utrum ab homine, an a fortuna sumpserit mutua. SENECA, Ep. XXVIII.

AUCTORES.

Laurentius Beyrlinck, in *Theatro vitæ humanæ.* V. eodem.

Josephus Langius, in *Polyanthæa.* V. eod.

Matthias Faber, conc. iv, v et vi in *Dom. 14 post Pent.*

Thomas Stapletonus, in *Dom. Sezag.* text. ii.

Jacobus March. tr. ii, in Tuba Pastoralis.
Antonius Balinghem, in loc. comm. V. eodem.

DUBIA ASCETICA.

DUBIA CIRCA PERFECTIONEM IN GENERE.

DUBIUM I.

An omnes homines ad perfectionem sint vocati?

Audiens Philothea, omnes homines illis Christi verbis: « Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est »: dubitat, quomodo Christus hoc exigere ab hominibus potuerit, cum perfectio Patris cœlestis infinita sit, atque adeo nullus hominum illam assequi queat.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, Christum iis verbis non voluisse exigere, ut quoad substantiam tam perfecti simus, ac Pater cœlestis, sed quoad qualitatem dumtaxat, et similitudinem illo verbo, *sicut*, indicatam, id est, ut sicut Pater æternus semper facit, *que vult* (juxta illud Psalmi cxiii. Omnia, quaecumque voluit, fecit) et *quomodo vult* (juxta illud Gen. cap. i. Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona) et *quia vult*. (Prov. xvi. Universa propter semetipsum operatus est Dominus) ita et homo quoad hunc operandi modum illi assimilari studeat, uti apposite quidam sequenti distycho expressit:

Omne tulit punctum, patitur qui semper, agitque,

Quæ vult, quove modo vult Deus, et quia vult.

Ut adeo merito Deus de Davide, velut viro perfecto, dixerit: « Inveni David virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas, » indicare scilicet volens, cum omnem perfectionem in voluntate divina adimplenda implevisse, dum et quo ad substantiam id semper elegit, quod Deo summe placere intellexerat; et quo ad modum quoque illum elegit, quem Deo gratiorem esse

cognoverat; et quo ad finem denique solum Dei beneplacitum purissime intendit, ac quaesivit.

DUBIUM II.

In quo consistat perfectio hominis?

Cum perfectionis naturam Auctores diversimode explicant, et alii quidem dicant, eam in perfecta conformitate voluntatis humanæ cum divina, alii in perfecta quotidianarum actionum transactione, alii in illis Davidicis verbis: « Declina a malo, et fac bonum »; alii denique in hoc, ut homo Dominum Deum laudet, revereatur et amet, cique serviens salvus fiat, consistere; dubitat Philothea quamvis ex his opinionibus præferenda, et in praxi tenenda sit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, etsi Auctores his verbis discrepent, omnes tamen in substantia convenire, faterique debere, perfectionem in charitate consistere, sed quia non omnes satis cognoscere videbantur, in quo consistat charitas, ideo conati sunt clarius eamdem per modos paulo ante indicatos explicare, ex quibus tamen omnibus modis iste, quo dicitur, charitatem in eo præcipue consistere, ut quis semper id faciat, quod Deus vult, quomodo vult, et quia vult (quem P. Rodriguez, et P. Vincentius Caraffa insinuant) præ cæteris aptus et facilis videtur ad naturam perfectionis et charitatis explicandam; et quidem ob tres causas. 1. Quia distinctius charitatis officia explicat, quam alii; nam, licet dicas, charitatem in perfecta conformitate voluntatis humanæ cum divina consistere, aut in perfecta transactione quotidianarum actionum, adhuc tamen explicandum restat, quando vel voluntas perfecte conformata, vel opera quotidiana perfecte transacta dici debeant, quod quidem hic modus clarius explicat, dum ait, tum perfectam laudem, servitium et amorem Dei exhiberi, quando actiones in substantia, modo et fine, divino beneplacito conformes habentur; quomodo enim aut opus suum artificem perfectius laudare; aut servus perfectius servire; aut sponsus sponsam perfectius amare possunt, quam si semper agant, quæ, quomodo, et quia artificii, domino, sponso maxime pla-

cent. 2. Quia ex hoc ipso modo explicandi perfectionem, facile colligitur, quantum aliquis in perfectione profecerit; cum enim quilibet ex his tribus actibus alios sub se gradus contineat, et quoad substantiam quidem ille censetur magis Deo placere, in quibus homo plus abstinet, aut sustinet, aut que non ad propriam dumtaxat, sed alienam etiam salutem ordinantur; quoad modum vero Deo magis placeat, qui diligenter, alacriter et constanter operatur; et quoad finem denique magis placeat, qui minus de solatio, præmio aut laude humana pro operibus suis querit, aut admittit; facile patet, tanto majorem quemque in perfectione progressum fecisse, quanto perfectius gradus hos assignatos impleverit. 3. Quia idem per commode etiam ostendit, quomodo quisvis in suo statu perfectus esse possit, atque adeo omnes a Christo per illa verba Matth. v, ad perfectionem invitati sint: « Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » Etsi enim multi excusare se possint, quod non possint varias austeritates aliaque opera valde ardua suscipere, nemo tamen excusare se potest, quod non possit facere, quæ vult Deus, et quomodo vult, et quia vult, cum Deus nihil ab homine ultra vires et statum illius exigat, et, ut bene Thomas Kempensis advertit; magis penset, ex quanto quis agat, quam quantum faciat. Lib. I. de Imit. c. xv.

DUBIUM III.

Cur tres viæ perfectionis assignentur?

Cum perfectio, ut dictum paulo ante, in perfecta operum quotidianorum absoluteione consistat, dubitat Philothea, queritque cur Ascete eamdem in triplicem viam, *purgativam* scilicet, *illuminativam*, et *univiam* dividant?

SOLUTIO.

Respondet Asceta, id fieri, quia per has tres vias natura et officium perfectionis percommode assignatur. Nam sicut in omni via tres quodammodo termini reperiuntur, nempe, terminus a quo disceditur, terminus ad quem tenditur, et terminus intermedius, per quem ambulatur; ita et in ambulatione spirituali tres similes termini reperiuntur, nempe, peccatum, a quo recedere oportet,

id quod perviam purgativam obtinetur; virtutes, per quas transire et pervenire ad ultimum finem necesse est, uti per viam illuminativam contingit; et tandem Deus, ad quem possidendum, velut terminum totæ ambulationis spiritualis instituitur, quod per viam univiam impetratur. Quæ sane tres viæ clare jam olim a S. Davide, Psalm. xxxiii. indicatæ sunt, dum dixit: *Quis est homo qui vult vitam? diligit dies videre bonos? Dverte a malo* (id est, peccato, quod unice disjungit, et minuit possessionem summi boni, atque adeo proprie malum vocari potest) *et fac bonum* (id est, virtutes, quæ solæ proprie rationem veri boni continent) *inquire pacem* (id est, unionem cum Deo, per quam solam vera pax obtinetur) *et persequere eam.* Ps. xxxiii.

DUBIUM IV.

An non perfectio ex aspera tractatione corporis recte colligatur?

Cum passim ii, qui corpus crebris castigacionibus affligunt, consolacionibus divinis abundant, et virtutibus varis suis ornati, ab hominibus perfecti et sancti habeantur, dubitat Philothea, an non in illis potius perfectio constitui debeat.

SOLUTIO.

Respondet Asceta ex Cassiano: « Jejunia, vigilie, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt; quia non in ipsis consistit discipline finis, sed per illa pervenitur ad finem. » CASSIAN. coll. 5.

Unde sicut non ille dicitur bonus artifex, qui bona instrumenta habet, sed qui peritus illis uti novit; ita nec ille perfectus censeri debet, qui ejusmodi asperitates velut instrumenta perfectionis suscepit, sed qui easdem ad debitum finem, scilicet charitatem perfectam obtinendam, ordinare didicit. Sed neque ex visionibus et consolacionibus perfectionem recte colligi, ut recte Thomas Kempensis advertit dicens: « Merita (atque adeo et perfectio velut radix, et causa meritum) non sunt ex hoc estimanda, si quis plures visiones et consolaciones habeat, vel si peritus sit in Scripturis, aut in altiori ponatur gradu; sed si vera fuerit humilitate fundatus, et divina charitate repletus; si